

canonicis, quia mandavit Synodus sacros ordines annecti canonicatibus ipsis, ut in posterum perpetua, et continua foret sacrorum ordinum assignatio, non ipsis personis possidentibus canonicatus, ne opus foret singulis vicibus nova assignatione accedentibus novis canonicis. » *Secunda*: « Episcopus auctoritate dicti decreti non potest imponere omnibus canonicatibus ordinem presbyterii, sed duntaxat sub hoc numero dimidiæ partis comprehensis dignitatibus, vel iis qui dignitatem obtinent, nam reliqua pars manere potest solis ordinibus diaconatus, vel subdiaconatus obnoxia. » *Tertia*: « In facienda distributione seu designatione sacrorum ordinum, Episcopus tenetur duntaxat adhibere consilium sui Capituli, non etiam assensum ejusdem expectare, quia potest etiam invito Capitulo efficere id quod judicaverit magis expedire. » Sic ex Stephan. Vueyms. Barbosa de Canon., cap. 42, num. 20.

(21. Episcopus antequam indicet, et publicet Synodum diœcesanam, requirere debet saltem consilium Capituli juxta regulam; cap. *Quanto 5* De iis quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli; Rota in Barbastren. Jurisdictionis coram Pamphilio 7 Julii 1585. (22. Episcopus enim prudens, antequam decreta Synodi promulget, debet prius in privatis congressibus a viris doctrina, prudentia, et pietate præstantibus, et deinde ex obligatione a Capitulo collegialiter coadunato consilium exquirere, licet solus potestatem legislativam statuendi habeat, et consilium sequi non teneatur. Sac. Congreg. Conc. in Hispalen. Synodi, 26 Novembris 1689. (23. Et sic quod Episcopus in decernendo et statuendo ea quæ sibi benevisa fuerint in Synodo diœcesana, teneatur requirere consilium Capituli, non autem illud sequi in casibus in jure expressis, decrevit eadem Sacra Congreg. in dicta Hispalen., 15 Januarii 1695. (24. Requisitio tamen consilii Capituli facta per edictum sufficit ad sustinendam validitatem Synodi, prout censuit Sacra Congreg. Concil. in Ostunen. Synodi 15 Decembr. 1696. Concordant omnino quæ habet Benedict. XIV de Synodo Diœces., lib. VIII, cap. 1, per totum; ibique subdit, quod si Episcopus constitutiones suas inconsulto Capitulo promulgaverit, illæ profecto, quod ad normam juris non sint exactæ, firmitate carent. (25. De primo ad ultimum Capituli consilium requiri debet in omnibus arduis Ecclesiæ negotiis; cap. *Novit 4*, c. *Quanto 5*, c. *Pastoralis 9*, De iis quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli. (26. Ecclesia enim habet Senatum seu cœtum presbyterorum (id est Capitulum), sine quorum consilio prælato nihil agere licet, ut legitur in cap. *Ecclesia habet Senatum 7*, caus. 16, q. 1, et facit ad hoc Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 12 de Reformat., circa finem, ibi: « Ut merito Ecclesiæ Senatus dicti possit. » Adeoque pro arduis Ecclesiæ negotiis expediendis esset semper requirendum hujus ecclesiastici Senatus consilium. (27. At vero fere ubique habetur in

pluribus consuetudo contraria, qua legitime exstante, non amplius requiritur ipsius Capituli consilium; textu expresso in cap. *Non est 3*, de Consuetudine in 6, sicuti in aliis quoque quæ supra diximus, contraria prævalet consuetudo; cap. *Ea noscitur 6*, De iis quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli. (28. Et de facto, quod Capitulum cathedralis subjiçatur constitutionibus synodalibus, aliisque legibus, etiam per edicta panditis sine consilio Capituli, respondit novissime Sac. Congr. Conc. in Gerunden., 19 Decembr. 1739 ad 3.

(29. Idque procedit, etiamsi Capitulum cathedralis exemptionem obtineat; subditur enim legibus synodalibus in iis, quæ versantur circa morum et disciplinæ reformationem, ita declarante Sac. Congreg. de Synodo Diœces., lib. IV, c. 8, § 7.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Antiquitus presbyterium Senatus erat ecclesiasticus, quocum Episcopus peragebat potiora suæ Ecclesiæ negotia. (31. In locum presbyterii successit Capitulum, et Episcopo loco Senatus intimi per plura sæcula fuit in casibus gravioribus et statum Ecclesiæ concernentibus. (32. Sed a sæculo duodecimo, quo Episcopi tot sibi officiales assumere cœperunt, decrescere cœpit auctoritas Capitulorum. (33. Adhuc tamen pro varietate negotiorum debent Episcopi aliquando consilium, aliquando consensum Capitulorum exquirere. (34. Illud sat est, quod Episcopi exquirant, cum non obliget: (35. hunc autem Episcopi et exquirere et sequi regulariter debent. Bohemer. in decretal., lib. III, tit. 10, § 1 et duob. seq.

(36. Consensus vero locum sibi vindicat, si vel in jure canonico, vel in capitulationibus expresse exigatur. (37. In aliis negotiis gravioribus sufficit consilium, nisi consuetudo ab hac etiam necessitate Episcopum absolverit; (38. nam non esse improbandam hanc consuetudinem dicitur in c. *de Consuetud.* in 6. Consule Barbosam de Canon. cap. 42, num. 29 et sequent.; Ferosin. de Potestat. Capit. sede vacante, tract. 2, quæst. 1, num. 4.

(39. Casus, in quibus Episcopus adhibere debet consensum Capituli, recenset auctor, at non omnes extra controversiam sunt. Confer Bohemer. in decret. lib. III, tit. 10, a § 4 ad fin.

ARTICULUS III.

Capitulum quoad ea quæ ipsum concernunt et Sede plena et Sede vacante.

(1. Capitulum, Sede plena, seu vivente Episcopo, potest etiam sine consensu Episcopi condere statuta de his quæ respiciunt particularia ipsius Capituli negotia, aut proprios capitulares concernunt circa rectam ordinationem Ecclesiæ, puta ut certis modis dividantur quotidianæ distributiones, vel ut certis temporibus ad Capitulum non vocati conveniant, seu ut tali ordine, aut ad pulsus hujus, vel illius campanæ Canonici ad cho-

rum, vel Capitulum vocentur, vel super administratione bonorum communium Capituli, in quibus Capitulum habet administrationem seorsim ab Episcopo, vel super aliis hujusmodi. Sic Glossa receptissima in c. *Constitut.*, vers. *Statutum 2*, De verb. significat. in 6, et doctores communiter cum Rota in Illerden. Statuti 19, Mart. 1597, coram Corduba et in Paduana Sedilium, 26 Januarii 1618, coram Card. Sacrato, et desumitur ex c. *Cum accessissent*, 9 de Constitutionibus et cap. *Significatum 12*, de Præbend., ubi reperitur Capitulum quædam talia statuta fecisse, quæ non solum rejecta non fuerunt ex defectu potestatis ea ferendi, sed etiam fuerunt per Papam approbata. Accedit textus in cap. *Ex litteris 11* de Constitutionibus, ubi istud ipsum admittitur in inferioribus universitatibus, junctâ l. 1, § 2, ff. *Quod cujusque Universit. nomin.* et leg. ultima Cod. de Jurisd. omn. Jud. (2. Imo Capitulum potest adicere pœnas hujusmodi statutis, ad hoc ut firmius observentur; et sufficit consensus majoris partis Capituli. Talia tamen statuta non obligant Canonicos successores, nisi ab Episcopo fuerint confirmata. Sic Sacra Congreg. Conc., 31 Martii 1607, in qua proposito dubio: « Patres unanimiter censuerunt, Capitulum posse pœnas adicere quasi conventionaliter ex his videlicet, quæ pacto privatorum promitti, ac in conventionem deduci possunt, et sufficere consensum majoris partis Capituli, sed Canonicos successores non affici hujusmodi statutis, nisi ab Episcopo fuerint confirmata. » Sic refert et tenet Fagnan. in cap. *Cum omnes 6*, de Constitut., num. 37, usque ad num. 43. (3. Capitulum ex causa publicæ utilitatis potest statuta facere contra antiquam Ecclesiæ consuetudinem, etiam de ea non facta mentione. Glossa in cap. *Cum M. Ferrariensis 9* de Constitutionibus, verb. *Consuetudinem*; Hostiens. in eodem verb. n. 2; Butr. num. 10 et 12; Imol. n. 8, vers. *Et nota etiam*; Fagnan. ibid. n. 13, per ration. cap. 1 de Consuetud. in 6. (4. Etiamsi consuetudo foveat utilitatem publicam, et statutum sit nutritivum utilitatis privatæ ipsorum statuentium, dummodo tamen hoc faciant ex rationabili causa, secundum Abbat. in cit. cap. *M. Ferrariensis*, n. 2; Aretin. n. 4, et Fagnan. n. 14. (5. Et dummodo principaliter et directe concernat utilitatem Ecclesiæ, et solum secundario et indirecte privatum commodum singulorum Canonicorum, et fiat de Episcopi consensu. Ripa in cit. cap. *Cum M. Ferrarien.*, n. 22; Joan. Andreas, n. 2, in verb. *Statuerunt*, et Fagnan. ibid. n. 15. (6. Ut autem valeant statuta a Capitulo condita, quatuor potissimum requiruntur conditiones. Prima ut capitulares condant tale statutum non in quovis loco, sed in loco ad Capitula celebranda deputato. Canonicis non quomodocunque, vel singulariter, sed collegialiter, et *Capitulo ad id legitime congregato*. Rota p. 1, dec. 382, n. 3. Secunda, quod duo saltem partes capitularium adsint; leg. 3 et 4, ff. *Quod cujuscunque Univers. nomine*. Tertia ut omnes fuerint vocati, alioquin unus contemptus, seu non

vocatus, cum vocari debuisset, posset reclamare, actumque irritare, nisi ob bonum pacis postea consentire voluerit; arg. cap. *Bonæ memoriæ*, 36 de Election. cum similibus, ac notat Abbas in cap. 1, num. ult. De his quæ fiunt a majori parte Capituli. Quarta ut sanior et major pars eorum, qui adsunt, statuto consentiat. Barbosa de Canonicis, cap. 42, num. 18 et alii passim.

(7. Capitulum, vivente Episcopo, non potest facere statuta, quæ obligent extraneos, sive totam diœcesim, quia non habet jurisdictionem in diœcesanos, vivente Episcopo. *Est communis*. (8. Nec etiam condere potest statuta circa ea, quæ tangunt communem statum Ecclesiæ sive Episcopatus, ejusque jura vel alia negotia ardua sine consensu Episcopi. Idque patet ex cap. *Cum consuetudinis*, 9 de Consuetud. ubi sub nullitate actus prohibetur, ne absque consensu Episcopi Capitulum immutet Ecclesiæ suæ constitutiones, vel consuetudines approbatas, atque novas inducat, et ita tenet Glossa in cap. *Constitutionem*, 2 de verb. significat. in 6, verb. *Statutum*; Barbosa de Canonicis, cap. 42, num. 16; Ferosinus de Potest. Capituli, tract. 3, quæst. 4, n. 1; Rota dec. 11, apud Farinacium part. II recent. (9. Nec etiam potest Capitulum condere statuta juri communi contraria, etiam interveniente consensu Episcopi. Et ratio est quia inferior non potest tollere legem superioris; cap. *Inferior*, 5, dist. 21, et Clement. *Ne Romani*, § 1, de Elect.; Barbosa cap. 42 de Canon. n. 17; Oltradus consil. 259, num. 6; Federicus de Senis consil. 17; Ferosin. loc. cit. qu. 4, n. 5 et 6, et Rota in Hispalen. Portionis de Ossuna, 10 Febr. 1623, coram Manzanedo. (10. Nec etiam potest Capitulum cum consensu Episcopi statuere, quod descendentes ex genere infecto, puta Judæorum, Maurorum et hæreticorum, cæteroquin tamen digni, non admittantur ad beneficia ecclesiastica. Nam hujusmodi statutum est contra jus commune; cap. *Eam te*, 7 de Rescript. ubi Pontifex cuidam scribit his verbis: « Pro eo vero, quod Judæus exstiterit, ipsum dedignari non debes recipere in Canonicum; » Barbosa loco cit. num. 18, et lib. I Juris Ecclesiast., cap. 32, num. 18; Ferosin. loco cit. quæst. 4, num. 6, et Rota in Cordubens. dimidiæ portionis, 28 Junii 1628, cor. Molino. (11. Nec etiam potest Capitulum statuere, ut non admittantur Canonici, nisi probata nobilitate, quia est contra cap. *Venerabilis*, 37 de Præbend. allegata illa ratione: « Non generis, sed virtutis nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt, dignumque servitorem... Nec est acceptatio personarum apud Deum; et vix ad culmina dignitatum (nedum præbendas) viri eminentis scientiæ valent reperiri; » Abbas in cit. cap. *Venerabilis*, num. 4; Barbosa ibidem num. 5 de Præbend.; Pirhing. de Præbend. num. 111, ubi num. 113 excipit illas Ecclesias, in quibus ex primæva fundatione conditio nobilitatis exigitur. (12. Nec etiam potest Capitulum statuere, ut capiens possessionem canonicatus, aut he-

neficii, teneatur aliud solvere convertendum in commodum aliorum Canonicorum, et beneficiorum. Hoc enim tanquam simoniacum reprobatur in cap. *Si quis Præbend.* 15, caus. 1, quæst. 3, et cap. *Jacobus*, 44 de Simonia. Et sic teste Garcia p. 8 de *Benefic.*, c. 1, num. 83 et 84 habetur ex decisione Sac. Congr. in Leodiensi juncto Conc. Trid. sess. 24, c. 14, de Reformat.

(13. Capitulum potest competere jus conferendi beneficia, etiam privative ad Episcopum, ut colligitur clare ex cap. *Nulla*, 2 de Concessione præbend., alias enim non fieret devolutio de Capitulo ad Episcopum, ut disponitur in cit. c. *Nulla*, verb. *Quod si ad Capitulum pertinuerit*, et notat Bernard. ibi in princip. Abb. n. 5, Fagnan. n. 40. (14. Ad Capitulum, Episcopo existente hæretico, spectat facultas concedendi dimissorias. (15. Imo ipsas dimissorias sufficit obtinere ab uno ex Canonicis, si reliqui propter hæresim sint dispersi. Sic Sacra Congr. Concil. in qua proposito dubio: An Episcopo existente hæretico facultas concedendi dimissorias, juxta Trident. cap. 10, sess. 7, pertineat ad Capitulum cathedralis Ecclesiæ; anve eo casu, quo Capitulum concedere potest dimissorias, si Canonici propter hæreses dispersi sint, et nequeant convenire, aut conveniri sine difficultate, sufficiat habere litteras dimissorias ab uno aliquo ex Canonicis cathedralis Ecclesiæ, aut omnino sine dimissoriis adire pro suscipiendis ordinibus viciniorem Episcopum? die 14 Januarii 1588, Sac. Congr. Card. Conc. Trident. interpretum: « Ad primum censuit, ad Capitulum pertinere, si Episcopus sit notorie hæreticus. Ad secundum, et primam ejus partem, sufficere habere dimissorias a residentibus capitularibus, etiamsi unus dumtaxat resideret, quia jus Capituli etiam in uno conservatur. » Glossa penult. in cap. *Gratum*, ubi Abbas. num. 9 de *Postulat. Prælat.* « Ad secundam partem, neque adeundum viciniorem Episcopum, neque Metropolitanum, sed adeundam Sedem Apostolicam. » (16. Capitula cathedralium, etiam vivente Episcopo, vocanda sunt et admittenda, aut eorum Nuncii ad Concilia Provincialia, præsertim ad ea tractanda, quæ Capitula ipsa contingere dignoscuntur; cap. *Et si membra 10, de his quæ fiunt a prælatis sine consensu Capituli*, ibi: « Visum fuit nobis et fratribus nostris, ut Capitula ipsa ad hujusmodi Concilia debeant invitari, et eorum Nuncii ad tractatum admitti, maxime super illis, quæ ipsa Capitula contingere dignoscuntur, » et in ejus summario expresse dicitur: « Ad Concilia provincialia vocari debent, et admitti cathedralium Ecclesiarum Capitula, » ubi Abbas n. 4 dicit procedere etiam in negotiis non tangentibus Capitula. Botteus in tractat. de Synodo, part. II, n. 42; Quarant. in summa Bullarii verb. *Concil. Provinciale*, vers. 4, *Quæro*; Barbos. de Canon. c. 42, n. 21. (17. Imo ad Concilia provincialia vocanda sunt etiam Capitula collegiarum quasi episcopalem jurisdictionem habentia, ut decisum fuisse a Sac. Congr. Concil. ex

Prosper. de August. refert Barbos. de Canon. cap. 42, n. 22, lib. I Juris Ecclesiast. Univers. cap. 31, n. 21. (18. Capitulum non potest residentiam Canonicorum remittere neque servitium condonare, non obstante statuto, sive consuetudine, quæ potius dicitur corruptela. Sac. Congr. Concil. in Tarraconen., 26 Januarii 1697, et in Genuen. Vacationum, 16 Januarii 1700.

(19. Capitulum, sede vacante, succedit in jurisdictionem Episcopi, et potest omnia facere, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, nisi expresse prohibita reperiantur; cap. *His quæ 11. cap. cum olim 14. de maj. et obed. cap. unic. eod. tit. in 6. cap. Ad abolendam, de hæret. cap. penult. et cap. final. de supplend. negligentia prælator. in 6. cum Concordantiis, et Glossa in cap. Ad Abolendam, de hæretic., verb. Sede vacante, et sic Doctores passim. (20. Non succedit tamen Capitulum in jurisdictione Episcopo delegata, etiam ex generali delegatione Sedis Apostolicæ. Innocent. in cap. *Ad abolendam, de Hæret. num. 1. vers. Item Episcopus, et Capitulum*; et apertius ibi Joann. Andreas *super ultim. gloss. Federic. de Senis cons. 30. Card. in Clem. quæst. 8. de Hæret. Abbas in d. cap. Cum olim. n. 2. vers. 5. dubitatur*; et communem esse, et tenendam attestatur Franc. in cap. *Episcopali Sede vacante. unic. de major. et obedient. in 6. et Fagnan. in cap. His, quæ 11. de major. et obedient. num. 55. (21. Sic etiam in Capitulo, Sede vacante, non transeunt ea, quæ ex Concilio Trident. competunt Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato. (22. Fagnan. loc. mox cit. num. 56. Secus autem, si competant Episcopis utroque Jure, scilicet ordinario, et delegato, veluti si Concilium det Episcopis facultatem procedendi etiam auctoritate Apostolica. Ideoque Sacra Congr. censuit facultatem transferendi Beneficia simplicia ab Ecclesiis collapsis competentem Episcopo ex cap. 7. sess. 21. transire in Vicarium Capituli Sede vacante, quippe Decretum illud non dicit simpliciter auctoritate Apostolica, sed addita particula etiam, quæ est implicativa jurisdictionis ordinariæ. Sic refert, et tenet Fagnan. loc. cit. num. 56. (23. Capitulum, Sede vacante, non succedit in jurisdictione competente Episcopo Jure speciali. Glossa in cap. *Scriptum, de election., in verb. temporis*, et ibi Abbas num. 5. Innoc. in cap. *Verum, de For. compet. et ibid. Felin. in princip. Fagnan. in cap. his, quæ, de Major. et obedient. (24. Et ideo Capitulum Paduanum, sicuti omne aliud Capitulum respectu consimilium privilegiati Episcopi, non succedit in potestate conferendi gradum Doctoratus, et Magisterii, qui competi Episcopo de Jure speciali. Card. in d. cap. *Verum. Joann. de Renan. in dict. cap. His quæ, num. 3. Fagn. ibid. n. 44. (25. Sicuti nec succedit in jurisdictione Episcopo competente ratione Feudi, nisi Feudum esset commune Episcopo et Capitulo, quia quando ea, quæ competunt Episcopo de Jure speciali, spectant communiter tam ad Episcopum, quam ad Capitulum, tunc succedit****

Capitulum. Unde si Feudum non esset de mensa solius Episcopi, sed esset commune Episcopo, et Capitulo, tunc Capitulum cognosceret Sede vacante; cap. *unic. Ne Sede vacante in 6. Joan. Andreas in d. cap. Verum 7. de For. compet. num. 6. vers. puto tamen quod si Feudum esset commune; Abbas ibid. num. 8. et in vers. et nota ex dictis; Fagn. ibid. num. 9. ubi expresse subjungit, quod caput unicum ne Sede vacante in 6. locum habet non solum in collatione Beneficiorum, sed etiam in aliis, quæ spectant communiter ad Episcopum, et Capitulum.*

(26. Capitulum, Sede vacante, potest quasdam Constitutiones facere obligantes totam Diocesim, etiam in tempus futuri Episcopi, donec hic, vel ejus Successor easdem revocaverit. Sic Feder. de Senis *consil. 16. Abbas in cap. Cum olim. 14. de Major. et obed. num. 2. §. 7. dubitatur; Felinus in cap. Cum omnes n. 10. de Constitutionibus; Ferosin. tract. 1. de potest. Capituli. qu. 17. num. 5. Fagn. in cit. cap. Cum olim n. 57. Castrop. part. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 23. num. 22. et alii passim. Et ratio est, quia Capitulum, Sede vacante, succedit Episcopo in his, quæ sunt jurisdictionis; cap. *Cum olim 14. de Major. et obed. et cap. unic. eod. in 6. cum Concordantiis, ac tradit Glossa magna in Clement. unic. de rerum perm. Atqui potestas faciendi Constitutiones pertinet ad potestatem jurisdictionis, adeoque, etc. Tum quia Capitulum, Sede vacante, succedit Episcopo in administratione temporalium, simulque spiritualium rerum totius Diocesis; cap. *Si Episc. 3. de supplend. negligent. Prælator. n. 6. cum similibus; ergo succedit etiam in potestate faciendi Constitutiones ad correctionem criminum, ac morum reformationem deservientes, cum hoc concernat administrationem Diocesis in spiritualibus. (27. Licet Capitulum, Sede vacante, non arctetur de Jure communi ad constituendum Vicarium, sed possit jurisdictionem ad se devolutam per se ipsum exercere, ut notat Abbas in cap. *Irrefragabili. num. 2. de Offic. Ordin. Felin. in c. Cum olim n. 9. de Major. et obed. et Fagnan. in cap. his. quæ eod. tit. num. 66. (28. Hodie tamen tenetur Vicarium Capitularem constituere infra octo dies post mortem Episcopi, alias Vicarii deputatio devolvitur ad Metropolitanum. Sic expresse Concil. Trid. sess. 27. de reform. cap. 16. ibi: « Item Officium seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in Jure Canonico sit Doctor vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus; si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta Oeconomum, et Vicarium idoneos possit constituere. » (29. Capitulum non potest cogi ad creandum Vica-****

rium intra pauciores dies quam octo; sed potest gaudere termino a Sacro Concilio sibi dato, colligitur ex verbis ipsius Concilii, et tenent expresse Quaranta in *Summa Bullar. verb. Capitulum Sede vacante. §. 12. quæro, vers. terminum; Barb. de Offic. et potest. Episc. part. 3. alleg. 54. n. 163. in fin. et alii passim. (30. Et infra illos dies, antequam Vicarium constituat, exercitium jurisdictionis spectat ad totum Capitulum in solidum, non autem ad primam Dignitatem. Sic expresse decrevit Sacra Congr. Concil. 19 Septembr. 1620.*

(31. Capitulum, nedum potest eligere, seu constituere Vicarium Capitularem post mortem Episcopi, sed etiam quando Ecclesia vacat per translationem Episcopi ad aliam Ecclesiam; tunc enim Capitulum, tanquam Sede Vacante, habita notitia etiam ex testimonio, seu documento Secretarii Sacri Collegii, quod Episcopus a suæ Ecclesiæ vinculo absolutus fuit in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem Litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ poterit, et debet Sedem vacantem publicare, et Vicarium, juxta Conc. Trid. præscriptum eligere. Sac. Congr. Conc. 14. Decembr. 1624. Urban. VIII. *Constit. incipiente Nobis nuper; Rota part. 2. recent. dec. 10. n. 475 per tot. et communiter Doctores. (32. Sic etiam Capitulum potest constituere Vicarium in casu, quo Episcopus efficiatur captivus ab hostibus Catholicæ Fidei, puta a Turcis, Sarcenis, Paganis, Hæreticis, Schismaticis, et hujusmodi, quia tunc diceretur mortuus civiliter, et in hoc casu mors civilis æquiparatur morti naturali, textu expresso in cap. *Si Episcopus 3. de supplend. negligent. Prælator. num. 6. ibi: Si Episcopus a Paganis, aut Schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed Capitulum, ac si Sedes per mortem vacaret, illam in spiritualibus, et temporalibus ministrare debebit, donec eum libertati restitui, vel per Sedem Apostolicam (cujus interest Ecclesiarum providere necessitatibus) super hoc per ipsum Capitulum, quam cito commode poterit consulendam, aliud contigerit ordinari; et ibi Glossa in verb. mortem, et verb. Sed Capitulum, et verb. Paganis, vers. nota primo, et Rota in Burg. 10. Martii 1597. coram Orano. (33. Sic pariter Sedes vacat, si Episcopus ingreditur aliquam Religionem; nam tunc post admissionem Summi Pontificis ad resignationem Ecclesiæ, Capitulum succedit in jurisdictione Episcopali, et sic eligere potest Vicarium Capitularem, qui illam administret; nam æquiparatur mors naturalis, et ingressus Religionis; cap. *placuit 8. caus. 16. n. 1. et ibi Glossa verb. Mortuus, et cap. Nullus 53. caus. 2. q. 7. l. Res uxoris, Cod. de donat. inter Vir. et Uxor. (34. Sic etiam vacat Sedes per renunciationem, quia quantum ad hoc renunciatio Episcopatus eundem patit effectum, sicuti mors Episcopi; cap. 1. de renunc. in 6. Glossa in cap. *Si enim nulla, verb. moritur, de Præbend. in 6. et in cap. si Episcopus, verb. mortem, de supplend. ne-****

gigent. *Prælat. in 6.* et Doctores communiter in c. 2. de *Præb. in 6.* (35. Sic similiter vacat Sedes per depositionem, vel relegationem, quæ sunt pariter mors civilis, et quoad hoc æquiparantur morti naturali. *Glossa in cap. Si propter tua debita. verb. vacabunt, de rescriptis in 6. et in cap. Si Episcopus, verb. mortem, de supplend. neglig. Prælator. in 6.* et Canonistæ communiter in cap. *Qualiter, et quando, 24. de accusationibus.* (36. Non potest tamen Capitulum Vicarium constituere in casu, quo Episcopus sit excommunicatus, vel suspensus; vel in casu quo Episcopo in remotis degente, Vicarius Generalis ab ipso relictus moriatur, vel a Principe Sæculari ejiciatur a Diœcesi, quia tunc recurrendum esset ad Sedem Apostolicam pro provisione. Sic decrevisse Sac. Congreg. Episcoporum, et Regul. 11. *Januarii 1616. in Messana ex cap. penult. juncta Gloss. verb. mortem, de supplend. neglig. Prælator. in 6.* refert Nicolus in *Floscul., verb. Vicarius Capitalaris. num. 57.* et tenet Monacell. *tom. 1. tit. 1. Formul. 1. num. 2.* et solide Fagnan. in cap. *Quia diversitatem 5. de concession. Præbend. a num. 11. usque in finem.*

(37. Capitulum non potest devenire ad electionem Vicarii Capitalaris ante certam notitiam vacationis, quia tempus a Tridentino statutum incipit a die scientiæ mortis certæ et non præsumptæ, vel a die certæ translationis, resignationis, et hujusmodi, alias electio esset nulla, licet Capitulum certum esset de imminente morte, vel translatione Episcopi. Sac. Congr. Episc. in *una Neritonen., 24. Maii 1651. ex c. bonæ memoriæ 36. de elect.* (38. Capitulum neque potest devenire ad electionem Vicarii Capitalaris post habitam notitiam mortis, vel translationis Episcopi, quando Vicarius Episcopi defuncti vel translati missus fuerat a S. Sede Apostolica, vel a Sacra Congregat. Episcop. Sic declaravit eadem Sac. Congreg. in *Aquilana 4. Aug. 1578.* quia durat etiam Sede vacante. Eadem Sacra Congreg. in *una Liciensi. 17. Novemb. 1590. arg. Cap. penult. juncta Glossa in verb. mortem de supplend. negligent. Prælat. in 6.* (39. Electio Vicarii Capitalaris debet fieri a Capitulo more solito Capitalariter congregato, et per secreta suffragia, alioquin nulla est, ut declaravit Sacra Congregat. Episcoporum in *una Siculana 18. Novembr. 1625.* et Sac. Congregat. Concil. *super Caput 6. de reformat. sess. 25.* (40. Capitulum non potest eligere in Vicarium Capitalarem nisi unum tantum, et si eligat plures, electio devolvitur ad Metropolitanum. Sacra Congregat. Episcop. in *Cassanensi 6. Augusti 1569. in Bobiensi 12. Martii 1607. et in Potentina 30. Augusti 1641.* Si tamen plures successive eligit, primo electus debet continuare, dummodo habeat requisita. Sacra Congreg. Episcop. in *Veliternen. 1. Sept. 1623.* (41. Potest tamen Capitulum duos Vicarios constituere, ut alternis mensibus Vicariatus munere fungantur, si legitimam habeat consuetudinem ab immemorabili servatam sine inter-

ruptione, et electi sint præditi omnibus qualitatibus, quas Tridentinum c. 16. de *reformat. sess. 24.* requirit. Sic declaravit Sac. Congr. Concil. in *Salernitana 26. Junii 1589. et in Panormitana 31. Maii 1593.* (42. Facta semel per Capitulum electione Vicarii Capitalaris, non potest illum ad libitum revocare, et novum constituere. Sac. Congr. Ep. in *Messana 1. Sept. 1603. et 6. Martii 1618.* (43. Si tamen adesset justa causa illum revocandi, debet prius habere licentiam a S. C. Ep. ut declaravit eadem S. C. Ep. in *Montis Regalis 17. Junii, in Monopolitana 1. Sept. in Tarentina 22. ejusdem Sept. 1603. et in Aretina 26. Octob. 1604.* (44. Imo Barbosa in *Summa Apostolicar. dec. collectan. 716. n. 17.* dicit, non posse per Capitulum revocari Vicarium Capitalarem, etiamsi sit electus cum clausula, quod possit revocari ex causis sibi benevisis, ut declaravit Sacra Congr. Concil. in *Ecclesien. 1. Apr. 1628.* quæ tandem remisit ad Congregationem Episcoporum et Regul. ut cognosceret causam, ut refert Bonfadin. in *Thesaur. Ecclesiast. dec. resol. 51. n. 22.* (45. Plures autem sunt causæ, propter quas solet Sacra Congregatio Episcoporum facultatem concedere removendi Vicarium Capitalarem, ut indignum. Prima, si Vicarius Capitalaris non resideat, ut in *Tridentina 7. Julii 1622.* Secunda, si patitur multas exceptiones, et propter malos mores sit exosus Clero, et Populo, ut in *Neapolitana 26. Januarii 1604.* Tertia, si patitur aliquid fieri contra libertatem Ecclesiasticam, ut in *Matheranen. 17. Julii 1601.* Quarta, si Vicarius Capitalaris sit debitor Capituli, ut in *Nullius Altamura 13. Julii 1646.* Quinta, si accipit pecuniam pro Dimissoriis, quam jussus a Superioribus non restituit statim, ut in *Tranen. 17. Maii 1604.* Sexta, si sit Vicarius Capitalaris in Metropolitana, et sine causa inhibeat Suffraganeo, vel ejus Vicario exercitium sui officii, ut in *Tarentina. 7. Januarii 1600, et in Matheranen. 7. Maii 1604.*

(46. A Capitulo, pro electione Vicarii Capitalaris, non debent vocari Canonici absentes nisi commode fieri possit; nec ita absentes possunt mittere, aut constituere Procuratorem ad ferendum in electione suffragium. *Glossa et Canonistæ communiter in c. Quia propter 42. de election.* Eo enim ipso quod Canonicus transit ad locum, ex quo commode vocari non possit, facit se extraneum, et perdit Jus ad eligendum. Passerin. *de election. cap. 10. n. 37.* (47. Si tamen adest consuetudo legitime præscripta admittendi in electione Canonicos absentes per Procuratorem, talis consuetudo esset intelligenda, et restringenda ad absentes solummodo intra Provinciam, et ibidem detentos aliquo legitimo impedimento de tempore actualis electionis Vicarii, ut declaravit Sac. Congr. Concil. in *Hydruntina 11. Apr. 1699.* (48. Et si econtra adesset consuetudo non vocandi quoquomodo absentes a Civitate, servanda esset. Sic censuit Rota *dec. 85. n. 11. coram Celso.* Et tanta est vis consuetudinis, quod a Cap-

tulo pro electione Vicarii, præter Canonicos vocandi sunt etiam illi, qui de Jure non sunt de Capitulo, et Portionarii, alique Beneficiati Ecclesiæ, si adsit consuetudo legitime præscripta illos vocandi; sic respondit Sacra Congreg. Concil. in *Nullius Altamura 9 Decemb. 1699. et Apr. 1693. et in Castellatenen. 1 Decemb. 1696.* (49. Si autem consuetudo non sit pacifica, et legitime præscripta, sed solum pauci actus afferantur, in quibus iis, qui non sunt de corpore Capituli, fuerint admissi ad suffragium ferendum, tunc Capitulum potest illos excludere, ut de facto accidit in *Recumeten. proposita in Sacra Congreg. Concil. 4. Junii 1701.* in qua Altaristæ Cathedralis, qui pluries in electione Vicarii Capitalaris interfuerunt, et suffragium dederunt, fuerunt exclusi, ex quo consuetudo non erat pacifica, neque legitime præscripta. (50. Capitulum debet pro Vicario Capitalari eligere unum, qui sit de gremio Capituli, si adsit idoneus. Sacra Congreg. Episcop. in *una Tranens. 22 Febr. 1597. et in una Nepe- sina 10. Junii 1602.* (51. Et qui sit Doctor, alias electio est nulla, ut declaravit Sac. Congreg. Episcop. in *Tranen. 25. Februarii 1597. et in Puteolana 27. Martii 1653.* (52. Nec sufficit, quod sit Magister in Sacra Theologia, sed debet esse saltem Doctor in Jure Canonico. Concil. Trident. *cit. sess. cap. 16. de reformat. ibi: Qui saltem in Jure Canonico sit Doctor,* ut declaravit Sac. Congregat. Concil. 28. *Augusti 1621.* et Sac. Congregat. Episcop. in *Bononien. 9 Junii 1601.* ubi jussit removeri Decanum non Doctorem, et eligi Archidiaconum Doctorem. (53. Nec etiam sufficit, quod sit doctoratus a persona privata, sed in aliqua Universitate, ut declaravit Sacra Congreg. Concil. die 19 *Septemb. 1620.* ibi: *quod debet doctorari in aliqua Universitate, non vero a persona privata.* (54. Habilis tamen non Doctor tolerari potest, si Doctor haberi non possit. Sacra Congreg. Episcop. in *Puteolana 25 Julii 1603.* (55. Debet autem Vicarius non Doctor eligere sibi consultorem benevisum, qui sit Doctor, et in rebus legalibus, et arduis peritus, a quo possit dirigi, prout fit, quando Vicarius Generalis Episcopi est Theologus, et non Jurista ex Decr. Sac. Congreg. relatis a Nicol. in *floscul. verb. Vicarius Generalis Episcopi n. 30.*

(56. Si Capitulum eligat aliquem in Vicarium Capitalarem non Doctorem, quando adest Doctor, ex quo talis electio sit nulla ex d. *Tranens. 25. Februarii 1597. et Puteolana 27 Martii, 1653,* tunc electio devolvitur ad Metropolitanum ex Conc. Trid. *sess. 24. c. 16. de reformat.* et pluries declaravit Sacra Congreg. Concil. ut refert Nicol. in *floscul. verb. Vicarius Capitalaris num. 61.* et Sacra Congreg. Episcop. in *Mazarien. 25. Decembr. 1603. et in Ostunen. 10 Novemb. 1639.* (57. In casu tamen, quo Vicarius deputatus per Metropolitanum ob malam electionem Capituli, vel ob ejus negligentiam, decederet, tunc posset Capitulum novum eligere Vicarium infra octo dies, ut prius, quia pro prima vice tantum Jus amittit. Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiast. uni-*

vers. c. 7. n. 102. Quarant. verb. Capitulum, Sede Vacante n. 4. Gemin. in c. fin. num. 8. de supplend. negligent. Prælator. Monacell. tom. 1. tit. 4. formul. 2. n. 6. et alii. (58. Capitulum non potest in electione, seu deputatione Vicarii, apponere restrictivam, ut Vicarius Capitalaris non possit procedere contra aliquem Capitalarem, absque consensu Capituli. Sacra Congreg. Episcop. in *Regien. 16 Julii 1593.* (59. Vel sine adjunctis. Ead. Sac. Congr. in *Salernitana 16. Julii 1628.* (60. Nec potest apponere in electione conditionem, ut participet Capitulum de emolumentis ex Officio Vicariatus provenientibus. Sac. Congreg. Episcop. in *Brundusina 8. Maii 1606.* (61. Nec potest Capitulum reservare sibi facultatem signandi supplicationes, distribuendi Conciones, vel habendi superintendentiam Seminarii. Sacra Congregatio in *Tudertina 11. Decembris 1654.* (62. Vel faciendi gratiam condemnatis ab ipso Vicario, vel cognoscendi de causis suspicionis ipsius Vicarii, ac Judicem non suspectum partibus deputandi, vel cum alia quacumque restrictiva insolita. Quod si Vicarius Capitalaris electus fuerit cum hujusmodi restrictionibus, poterit nihilominus libere uti sua jurisdictione absque ullo respectu supradictarum conditionum, ut declaravit Sac. Congreg. Episcop. in *Salernitana 16. Julii 1628. et in Venusina 14. Novemb. 1698.* (63. Capitulum enim post electionem Vicarii nullam exercere potest jurisdictionem, quia post electionem tota jurisdictio Episcopalis transit in Vicarium Capitalarem privative, quoad Capitulum, non cumulative. Sac. Congreg. Episcop. in *Hydruntina 1 Octob. 1655. et in alia Neriton. 17. Septemb. ejusdem anni.* (64. Unde substitutio facienda propter absentiam Vicarii spectat ad ipsum Vicarium et non ad Capitulum. Sic decisum fuisse a Sacra Congr. Concil. refert Garcias *de Benefic. part. 5. cap. 7. n. 23. dec. 6.* Fagnan. in c. *His quæ 11. de Majorit. et obedient. n. 74.* (65. Statuta, quæ excludunt plures Fratres utrinque aut ex uno tantum latere conjunctos a voce activa in Capitulo, vel Consilio, laudabilia sunt et approbanda. Sic expresse Sac. Congreg. Concil. in *Paderbonen. 9 Augusti 1704.* Item statutum a Capitulo conditum, juxta quod non plures quam duo Consanguinei primi, et secundi gradus in Capitulo esse possint, ita ut tertius additus maneat exclusus a voce activa et passiva, fuit approbatum quoad vocem activam tantum. Sacra Congr. Concil. in *Constantien. Statuti 21. Maii 1707.* licet alicui Canonici dissentirent, Episcopo tamen consentiente. Cætera alia vide verb. *Vicarius Capitalaris.* (66. Capitulum Cathedralis non est salutandum a Concionatore cum titulo Reverendissimi, neque in absentia Episcopi. Sacra Rit. Congr. in *Capuana 23. Jan. 1700.* apud Monac. *tom. 4. supplement. ad 1. tom. n. 20.* (67. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ præcedere debet Capitulo Collegiatæ, adeo ut nec sustineantur constitutiones privatarum Ecclesiarum aliter decernentes, ut definit Rota *dec. post Murgam ad Constit. Apo-*